Fragmentarium

moue[tur] ad inferius s[ecundu]m quod simile mouetur ad suum simile intelligendum est ad locum non ad totam terram. Deinde incepit declarare quod iste sermo est impossibilis et dixit quoniam si aliquis transferret terram et cetera. i. quod si partes elementorum mouentur ad suum uniuersum sicut simile ad simile tunc partes mouentur ad totum ubicumque esset totum. Verbi gratia quod si terra esset in concauo orbis lune tunc lapides mouerentur ad ipsam et sic neque essent superius aut inferius aut media corpora mouentur naturaliter a medio et ad medium et cetera medium quod est impossibile ut predictum est. Deinde dixit. sed mouetur ad locum in quo tunc existit. i. quod si terra esset loco lune tunc partes eius non mouerentur ad ipsam sed ad locum inferius. Deinde dixit accidit similiter consimilibus et cetera. intendit per ista .iii. corpora.

Quoniam autem est locus Dicamus etiam quod locus cum sit orizonti continentis ea que mouentur ad superius et que ad inferius ultimum et medium necesse est ut sit in aliqua parte ultimum et medium forma eius que continet et sita s[unt] ideo corpus quod mouetur ad suum locum non mouetur nisi ad suum simile corpora aliud que sunt in ista loca assimulantur ad inuicem dico quod aqua et aer ignis et similiter a superiori ad inferius dico quod aer aque et aqua terre duo autem extrema non assimulantur ad inuicem sicut

et cetera. sed differunt sicut materia et forma et similiter omnium corporum semper superior differt ab inferiori sicut materia et forma differunt.

Cum [...] declarauit quod causa quare elementa hec mouentur ad sua loca non est nisi quia generatum mouetur ad suam formam propriam quoniam ea que mouentur naturaliter ad sua loca sunt ea que sunt in potentia ea que apparent in illis locis et modo uult declarare hoc idem alio modo et dixit quod locus cum sit orizonti quia continet et intendit per orizon finem et per ea que mouentur ad superius et ea que mouentur ad inferius intendit ea que mouentur simpliciter et dixit hoc consuando se de locis mediorum et intendit per ultimum finem orbis et per medium finem aque et cetera. quod dicit quod locus cum sit continens ad superius mouentis finis qui est ultimum celi et eius que ad inferius mouentur sit finis qui est medium totius et finis continens ipsum extrinsecus simul est forma illius. forma enim est finis rei habentis formam et in hoc tamen differunt quod hec separatur hec autem non et cum ita sit necesse est ut finis ultimi mundi sit quasi forma corporis quod mouetur ad sursum et finis qui est medium sit quasi forma corporis quod mouetur ad inferius et hoc intendebat cum dixit necesse erit in aliqua parte et cetera. et intendit per aliquam formam corporis superius simpliciter et inferius simpliciter quoniam ultimum mundi et suum medium sunt quasi loca et similia forme eius quod mouetur ad inferius simpliciter. et intendebat declarare per hunc modum quod elementa mouentur ad sua loca quia res mouentur ad suam formam cum locus sit ei similis forme que acquiritur cum forma acquiritur nisi aliquid impediat secundum precedentem demonstrationem fuit declaratum quod locus in his corporibus est similis forme secundum hunc modum. scilicet quod illud quod mouetur ad ista loca est illud quod est graue aut leue in potentia non illud quod est in actu graue aut leue nisi accidentaliter. In hoc autem sermone declarauit illud ex hoc quod locus est quasi forma in graui. utrumque enim est finis continens. sed illa est finis non distincta locus autem est finis distinctus et intendebat declarare quod locus est ualde similis forme in his corporibus. forma enim est finis. et illud per quod sic significat potentiam est potentia ei in actu et hec duo inueniuntur in locis horum corporum et ideo necesse est ut motus istorum corporum ad sua loca sit ex genere motuum eorum ad suas formas

License: cc-by-nc-sa – Scherpenheuvel-Zichem, Abdij der Norbertijnen van Averbode, Archief, Sectie IV, hs. 417, 45, fol. [29]r – Aristoteles, <i>De caelo</i>, with commentary by Averroes (https://fragmentarium.ms/view/page/F-tq1r/9563/70238)